



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 45. Tertii Ordinis responsum ad Perronii Cardinalis Orationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

„& statum, in quo Anglicana Ecclesia Sæc. XVII.
„gemiscit, redigere.

A. C. 1614.

§. XLV.

Tertii Ordinis responsum ad Perronii Cardinalis orationem.

Aboluta Perronii Cardinalis oratione *Calmet Hist. Univers.*
Tertii Ordinis Oratores pro sua thesi, *l. 151 pag. 257.*
quicquid ex antiquitate Historica aptum, invenire poterant, studiose conquirebant, præprimis recens quoddam rescriptum proferentes, quo trecentis abhinc annis in Franciæ comitiis declaratum fuit, quod *ab omni tempore dicatur Galliæ Regnum Deo uni subditum in temporalibus.* Hanc vero opinionem suam variis confirmabant exemplis, ac doctrinis, asserentes, Christum diversas a gladio habuisse claves, Petrumque fuisse jussum, mittere gladium in vaginam, Ecclesiam in volentes suum exercere imperium, plebeios in idolatriam lapsos non spoliasse bonis suis, minus ergo Reges. Christum respondisse Pilato, Regnum suum non esse de hoc mundo: Christi ævo tyrannos fuisse Cæsares, & tamen Christum dixisse: *Reddite Cæsari &c.* Martyres in Tyrannos, qui eos ad Idolorum cultum impulissent, non fuisse grassatos: Principibus etiam discolis deberi ob-

Hist. Eccles. Tom. LV.

U

se-

Sæc. XVII. A.C. 1614. „sequium, D. Paulum docuisse verbo
 „dicandis Regum gestis decipi, illis ex
 „privato odio adversari &c.„ Hanc in
 rem decantatam proferebant fabulam
 de Alexandro III. qui pedem collo Fri-
 derici III. imposuisse narratur. Adde-
 bant postea, solum Deum esse Regum
 Judicem juxta illud: *Tibi soli peccavi:*
 subscribi a Clero Gallicano Concilii Con-
 stantienſis doctrinæ, qua Reges etſi
 tyranni forent, occidi vetantur: vix
 quoque fieri posse, ut Regi corona ad-
 meretur, quin non ei adimeretur simul
 & vita, si enim depositus esset, non
 amplius illum fore Regem, & si pro suo
 Regno decertaret, fore rebellem mor-
 te dignum, & si Ecclesia posset illum
 Regno spoliare, fortiori jure reliquos
 omnes homines ab eadem Ecclesia, bo-
 nis suis spoliari posse.

Postea declarabant, quod tertius
 Ordo nunquam hanc Thesin proposue-
 rit tanquam credendam de fide, sed u-
 nice tanquam *politice* Magistratus do-
 ctrinam: Pontifex autem queri non pos-
 sit, si *politice* credatur; sicut enim Rex
 non habet jurisdictionem in Papam, ita
 nec Papa in Regem, ut Regem. Ad
 exempla vero a Perronio allata respon-
 debant, quod Childericus Rex non a
 Papa, sed a comitiis fuerit regno spo-
 liatus

liatus, (qua ratione autem Regni Ordines in comitiis Regem suum spoliare potuerunt Regno, quod a solo Deo se accepisse profitetur?) Philippum vero & Ludovicum XII. contra Bonifacium & Julium Pontifices reclamasse ajebant.

Sæc. XVII.
Sæc. 1614.

His igitur Regis auctoritatem vindicabat tertius Ordo. Ceterum ipse Jacobus I. Angliæ Rex Perronii Cardinalis orationem confutare nitebatur, transmissa *de Jure Regis* in Gallias lucubratione, quæ in operibus Regiis præfati Jacobi Regis fol. 193. reperitur.

§. XLVI.

Parisiensis Curiae Patres Tertii Ordinis sententiæ adstipulantes.

Quamvis Parisiensis Parlamenti seu Curiae Senatores ad hæc comitia admissi non fuerint, minime tamen sat propitiam novo Regi adulandi occasionem fore negligendam censebant; quocirca percepta Ecclesiasticos inter & Plebeios contentione circa Pontificis auctoritatem, die decima tertia Decembris a Regio Senatu petebant, ut hæc dogmata *omni tempore*, ut ajebant, *in Gallis recepta*, & Regno congenita protuenda Regis vita, pace & tranquillitate publica confirmare, necnon illas innovare poenas velit, quæ in pluribus

Calmet hist. Univ. l. 151. Argentre coll. Jud. tom. 2. p. 95. Commen. Cler. Gall. p. 570.

U 2

edi-